Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

xviii kl. Sep.

Que est ista que ascendit quasi aurora consurgens. pulchra ut luna. electa ut sol. terribilis ut castrorum acies ordinata. Que est ista. Quis sermo digne fari potest. et dicere quod sit ista. Quis verbis et tante dignationi dabit ubi cognita ostendencia que sit ista. Grandis nimirum est res ista. de sublimibus celorum est allata nobis margarita ista. de fontibus salvatoris. de aquis syloe. de fluminibus paradisi est advecta pulcritudo ista. Nescit alienus. et ignorat infelicissimus iudeus semper que sit ista. Sed que est ista. Hec est mater salvatoris. vas electum vas honoris. vas decoris vas pudoris. vas signatum vas odoris. Ista mirabilis et graciosa. ista suavis et speciosa. ista terribilis et pudorosa sacra virgo maria. Ista mater sine viro. virgo mater [illegible] virgo pariens pariens virgo. deum nobis edidit. Hec est virgo sine ruga. hec est hominum singularis illa vita. hec dulcedo. cui se celestis mellis nectar infudit. Hec est mundo pereunti una spes fortissima. unicum solacium. singulare gaudium. Hec regina est celorum. hec est princeps angelorum. que ruinam reparavit hominum. Sed o electa advocata humanitatis. sacer luter eternitatis. munda domus divinitatis. quid te dignum loqui gestit. inops lingua latinitatis. Tu es osculum eterne sapiencie. tu que turris in odorem ungentorum divinissime fragrancie. Te introduxit rex o domina in cellaria sua. cum cellarium divinitatis cellario humanitatis. id est cum naturam divinam unite tue se humanitati coniunxit. Xpiani quoque et non iudeus id est recti diligunt te. Tu es nigra quia obis. sed formosa quia vivis in eternum. Nolite hanc considerare fratres quia fusca est ob obitum. quoniam decoloravit eam urentis sol mortalitatis. Tu dilectum dei patris nobis pandis pascua. Hunc tu prodis incarnatum et ostendis humanatum. Unde sacro meridie. unde cubat rex potentis glorie. Quam quoniam o pulcherrima mulierum egrediens a seculo in curribus pharaonis. id est legibus mortalis condicionis. abis post tui filii obeundo vestigia. pulchre tamen tue gene parent velut turturis. nec mors pallens tibi livere potuit colorem illum optimum. quem virginitas te induit. Tu argentum redemptoris es. obrizatus auro sapiencie. Tu es nardus caritatis odorifera. dum rex in accubitu suo. unde plane incarnata dei sapiencia. Fons engadi de baptismi undeis. botrum cypri ut resurgas inde influit plenum. Fons engaddi xpum de baptismate. botrus cypri resurgentem nunciat. Fons engadi i. fons hedi i. baptismus ubi hedi id est peccatores lavantur in xpo. Tu es pulchra amica. tu formosa columba. Unde pulcher et dilectus requievit dei filius. Tu es floridus humanati dei lectulus. Unde tigna sunt domorum. que virtutes sunt bonorum. Sed hec tigna sunt cedrina. quia imputribiles. que odore suo serpentes enecant atque demones. Tu enim domina tu sola universas hereses interemisti

Et si mirre fasciculus pertulisti tuo morte tulit corpori: intra tamen cordis ubera viva manet dilecta prius te vivificans divina sapiencia.